

IN TRIA SEQUENTIA OPUSCULA FR. JOANNIS FRANCISCI BERNARDI

MARIÆ DE RUBEIS


ORDINIS PRÆDICATORUM,

ADMONITIO PRÆVIA,

De Opusculis absque dubio germanis, Contra impugnantes Religionem. De perfectione vitæ spiritualis, & contra retrahentes à Religionis ingressu: deque aliis theologicis aut dubiis, aut certe Aquinati suppositis.

CAPUT I.

Memorata Opuscula tria ordine perturbato prostant in editione Romana: verus ordo restituitur. Lucubratio contra impugnantes Religionem proprio marie ab Aquinate confecta, minime desolata ex Alberti Magni scriptis.

I.  RIA præstat Romana editio Opuscula, XVII. XVIII. XIX. primum inscriptum, contra pestiferam doctrinam retrahentium homines à religionis ingressu: alterum, de perfectione vitæ spiritualis: tertium, contra impugnantes Dei cultum, & religionem. Singula recensent veteres omnes Nomenclatores, Ptolomæus de Luca, Guillelmus de Tocco, Bernardus Guidonis, Bartholomæus Logotheta, Nicolaus Trivetus, suppresque alii sæpius laudati.

Turbato tamen ordine eadem Romana in editione, aliisque in editis exemplis, hæc eadem prostant Opuscula tria. Primum tenere locum debet, quod inscribitur, contra impugnantes Dei cultum & religionem: sequitur alterum, de perfectione vitæ spiritualis: tertium est, contra retrahentes homines à religionis ingressu. Hunc ipsa Opuscula ordinem produunt. In eo, quod contra retrahentes à Religionis ingressu inscribitur, hæc habentur capite XI. non longe ab initio: *Et quamvis de hoc plura sint dicta in alio nostro Libello, quem de Perfectione conscripsimus, hic tamen aliqua iterare non pigeat.* Jam ergo præcesserat Opusculum de Perfectione Vitæ Spiritualis. In isto vicesimum sextum Caput his exorditur verbis Auctor: *Restat igitur dicendum, quæ opera ad eos pertineant, qui in Religionis statu sunt. Sed quia de his plene alibi tractavimus, sufficit hic propter calumniosos pauca quedam inserere.* Inducitur sine dubio Opusculum contra impugnantes Religionem; in quo inquiruntur capite 2. an Religiosus liceat docere: Capite 3. an Religiosus licite possit esse de Collegio secularium Magistrorum: Capite 4. an Religiosus liceat prædicare, & confessiones audire, si curam non habeat animatum: Capite 5. an Religiosus teneatur manibus laborare. De his operibus, Religiosus vero convenientibus, paucis agit Sanctus Thomas in vicesimo sexto Opusculo de perfectione capite, propterea quod latiore jam calamo egerat in Opusculo contra impugnantes Religionem: unde compertum fit, prius istud ab eodem elucubratum opus fuisse. Hocce de ordine adhuc infra agendum: quo etiam servato hæc Opuscula tria recensentur in insigni Codice Gymnasii Magistri Gervasii apud Jacobum Echardum, & in alio Codice cxxviii. in Veneta latina & italica Divi Marci Bibliotheca anno 1741. typis edita, & in Parisiensi demum editione quam Petrus Pellican anno 1655. diligentissime curavit.

II. Theophylus Raynaudus Tomo XII. in Haplothea Sectione II. Serie II. Capite XII. de Plagio sic ait: „Petrus de Prussia Ordinis Prædicatorum in Magni Alberti Vita... Capite 30. allegans Jacobum de Zuzaro (de Susato.) Veterem Ordinis Prædicatorum Chronologum, affirmat librum Sancti Thomæ contra Guillelmum de Sancto Amore, contra impugnantes Religionem, qui in Opere Opusculorum Sancti Thomæ habetur, aliud non esse quam recollectionem eorum, quæ Albertus Magnus Anagninæ coram Alexandro IV. disputans, adversus Librum Guillelmi protulerat.“ Chronicon MS. Susati servat Venera SS. Joannis & Pauli Bibliotheca, in quo revera hæc habentur; „Responsiones autem Alberti factas in Consistorio super objectis (Vvillielmi de Sancto Amore,) fideliterque reportatas S. Thomas Aquinas abbreviavit, & in unum redigens, ex eis librum gratiosum compilavit.“ Hæc scilicet Susatus, Magister Coloniensis, qui sæculo inferioris de Prussia, qui dicto sæculo xv. desinente in Coloniensi Conventu scribebat, scripsitque vitam Alberti Magni: ideoque ambo, sicuti etatis, ita sane auctoritatis longe sequitur, quam ut fidem rei faciant, quæ in gratiam Alberti Magni exaggerata videntur. Susati Chronicon, in epitomem redactum, typis vulgatum Do-

tissimi Sammaurzei Monachi, Edmundus Martene, & Ursinus Durand in Amplissima Veterum Scripiorum Collectione Tomo VI. ubi hæc habentur verba, quæ minime conveniunt supra descriptis; num. VII. Guillelmus de S. Amore... Roma in publico Consistorio coram Domino Alexandro Papa IV. à Beato Alberto Magno disputando confusus, privatis beneficiis quæ possidebat, combustoque libro ejusdem Clero expulsum fuit. Contra hunc etiam ad mandatum Magistri Oratini scripsit Libellum unum Sanctus Thomas de Aquino, qui prænotatur: contra impugnantes Religionem. Susatum videlicet correxit Epitomator, qui Albertus Castellanus creditur: satis indicans novum ab Aquinate librum compositum, qui nihil simile haberet cum disputatione Beati Alberti Magni.

Apud Echardum in recensione Operum Alberti, quæ typporum beneficio lucem nondum viderunt, refert num. 10. contra Guillelmistis impugnantes Religiosos: „quod opus, inquit, alii vocant Defensorium Mendicantium, & dicunt exstare in Victoria: vidit saltem Petrus de Prussia in nostra Coloniaensi.“ Opus istud fuerit Allegatio, quam vocat Thomas Cantimpratensis Libro II. de Apibus Capite x. num. 23. Magistri Alberti aut Responsio facta in Consistorio, ut ait Susatus. Quam longe vero à Libello instar Allegationis scripto differat Opusculum, quod impugnantes Religionem opposuit Doctor Angelicus! Guillelmus de Tocco audigendus est, qui rem totam enarrat in Vita Capite IV. n. 20. „Cum ad petitionem Reverendi Patris Fratris Joannis de Vercellis Magistri Ordinis Prædicatorum, cui incumbere de mandato Summi Pontificis prædicto Nohimini (Guillelmi de S. Amore) responderet, fuisset prædicto Doctori Thomæ, cum Anagnina in Consistorio esset, coram Fratribus non sine singula & lacrymis assignatum... Frater Thomas ipsum Volumen accipiens; & se Fratrum orationibus commendans, eum perlegisset attentius, & intellexisset profundius, receperit prædictos Magistros (Guillelmum de S. Amore, sociosque) à fundamentis erratas fidei, & male intellexisse Sanctorum auctoritates inductas... In modico tempore de mandato Summi Pontificis perfectè opus, respondentis argumentis notatis: & superpositis fidei fundamentis, libellum Summo Pontifici obtulit.“

Nun ergo Opusculum Thomæ, quod Romano Pontifice mandante, ac urgente Magistro Generali Ordinis, post attentorem Voluminis à Guillelmo de S. Amore editi lectionem, accuratumque ejus examen, confectum est: nihil aliud fuerit quam Recollectio, aut Reportatio eorum quæ disputans Albertus Magnus protulerat? Haud ita sentiebat Henricus de Gandavo, Scripior coævus, qui de Scripioribus Ecclesiasticis num. 45. testatur: contra Magistrum Vvillielmum de Sancto Amore invecivum librum editisse Thomam de Aquino, Opusculum subtilissimum, in quo ejusdem Vvillielmi errorem redarguit, & confutat.

CAPUT II.

Occasio scribendi data ex dissidio, quod Guillelmus de Sancto Amore, alique Socii in Fratres Mendicantes movere, Thomas Cantimpratensis, & Guillelmus de Tocco notati: castigatusque Cesar Bgassius Bouleus: Editi ab Aquinate Opusculi tempus, quod Guillelmo de S. Amore opposuit.

I. **D**ISSIDIUM, quod data Aquinati occasio fuit, memorata scribendi Opuscula, diligentius enarrare præteritum opere est. Turbis in Parisiensi Universitate motis, tentavit Academicis anno 1253. ut è consorcio Sacre Facultatis Fratres Prædicatores, & Minores eicerentur. Inter hæc dissidia vulgatus à Guillelmo de Sancto Amore, Canonicum Bellovacensi, Doctore Theologo liber, de periculis novissimorum temporum inscriptus, in quo totus erat, ut Religioso statui ab Ecclesia adprobato invidiam crearet. Ad Sedem Apostolicam negotium delatum est ab ipso Galliarum Rege Ludovico nono. Sedem Romanam tenebat Alexander IV. anno 1254. die 21. Decembris Summus Pontifex electus. Ad examen vocatum Guillelmi de S. Amore Volumin: „Quanta vero maturitate, (verbis utitur Thomæ Cantimpratensis Lib. II. de Apibus Cap. x. num. 23.) scire poterit, qui collationes & disputationes legerit, præcipue contra Magistros quatuor, in capite adversarios, (Guillelmum de S. Amore, Odonem de Duaco, Nicolaum de Barro super Albam, & Christianum Canonicum Bellovacensem;) disputationes quoque Domini Hugonis Presbyteri Cardinalis Fratris Ordinis Prædicatorum, Domini Ricardi (de Amibaldis de Molaria, Diaconi Cardinalis S. Angeli) & Domini Joannis Cajetani (Ursini, Diaconi Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano) & aliorum Cardinalium: necnon & allegationes Venerabilis Patris Fratris Humberti Magistri Ordinis Prædicatorum, sed & Ministri Ordinis Prædicatorum Minorum (S. Bonaventuræ,) & maxime Magistri Alberti Fratris Ordinis Prædicatorum ad hoc specialiter à Domino Papa vocati: & aliorum Prælatorum, atque Magnorum Virorum disputationes, proluxas & magnas, habitas Anagninæ coram multis: & in ipsis invenire poterit rerum gestarum veritates.“ Præfecturam Ordinis Minorum gerere Bonaventura cepit anno ineunte 1256. unde patet, diutinam fuisse coram Alexandro IV. de negotio Guillelmi de S. Amore disceptationem.

Ejusdem anni 1256. initio, licentiam, ut aiebant, obtinuerat in Parisiensi Universitate à Cancellario Thomas Aquinas: ad ipsamque Cancellarium hæc de re dedit epistolas Alexander IV. 5. Idus Martii Pontificatus anno secundo, vulgaris æræ 1256. stylo novo. Pro sibi data licentia, solemne sui regimini principium coram Guillelmo de Sancto Amore dissidio tentante. Hinc in Italiam ad Summum Pontificem Alexandrum Anagninæ degentem se contulit Aquinas, rem suam, ac utriusque Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinis negotium acturus.

Nun vero hoc anno cæteris Viris doctissimis adjunctus fuerit Thomas, ut pugnam ageret contra Guillelmum de Sancto Amore? Silet Thomas Cantimpratensis, qui alios memorat, Albertum Magnum, & Bonaventuram. Difficultatem augeat Guillelmus de Tocco, qui loco superius citato hæc habet. 1. Libellum Guillelmi de Sancto Amore delatum fuisse ad Clementem Papam Quartum. 2. Joanni de Vercellis, Ordinis Prædicatorum Magistro, impositum fuisse, ut prædicto Volumini responderet. 3. Id onus ab eodem Magistro Generali Doctore Aquinati, cum Anagnina in consistorio esset, eorum Fratribus commissum. 4. Ab Aquinate elucubratum Opusculum, Summo Pontifici oblatum, ipsamque incipere, Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: quæ nem-

pe sunt prima verba Opusculi, *contra impugnantes Religionem* inscripti. 5. Summum Pontificem, libellum Guillelmi de Sancto Amore condemnasse, ipsunque cum suis complicitibus de cathedra deposuisse, et expulsos de Parisiensi studio omni dignitate privasse.

II. Susdæque miscet omnia Guillelmus de Tocco. Libellum Guillelmi de Sancto Amore anathemate perculit Alexander IV. edita constitutione *Anagnina 3. Nonas Octobris, Pontificatus anno secundo*, seu anno 1256. die 5. Octobris. Ibidem 16. *Kal. Novembris, Pontificatus anno secundo*, seu anno eodem 1256. die 17. Octobris, datæ ad Regem Galliarum literæ, quibus latum anathema in prædictum libellum nunciatur, ac ipsi Regi impensis commendantur utriusque Ordinis Fratres. Datum etiam *Anagnia 14. Kal. Novembris*, seu die 19. Octobris, in mandatis Turonensi & Rotomagensi Archiepiscopis, ac Parisiensi Antistiti, ut manum præbent auxiliariæ ad ea exsequenda, quæ Pontifex mandaverat in gratiam Fratrum Prædicatorum, & Minorum. Itemque 12. *Kal. Novembris*, seu die 21. Octobris, mandatum eisdem, ut libelli damnationem cunctis denuntiarent. Editas alias Constitutiones consule Tomo I. Bullarii Ordinis Prædicatorum. Quid est ergo, quod *Libelli*, quem vulgaverat Guillelmus de Sancto Amore, condemnationem differat Guillelmus de Tocco ad Pontificatum Clementis IV. Cathedram hic Pontificiam tenere cepit anno 1265. die 5. mensis Februarii.

Constitutionem Alexandri IV. qua Volumen sæpe dicti Guillelmi de Sancto Amore percussum anathemate fuit, affert Egassius Boulaeus in Historia Universitatis Parisiensis, interpolatam sane ac depravatam, plus nimio Fratribus Prædicatoribus & Minoribus infensus, magisque favens Guillelmo de Sancto Amore. Genuinas lectiones reseruit doctissimus Antoninus Bremond in Notis: interpolatorisque hominis audaciam maxime castigat ad Constitutionem xx. ejusdem Alexandri.

Missi ab Academia Parisiensi ad rem suam agendam fuerant ipse Guillelmus de Sancto Amore, Odo de Duaco, Christianus Canonicus Bellovacensis, Nicolaus de Barro super Albam, Joannes de Sectavilla Anglus Rector Universitatis. Jam proscripsi fuerat Libellus de periculis novissimorum temporum, cum ad Aulam Pontificiam pervenerunt. Ad Cardinalium audientiam admissi Odo de Duaco, & Christianus Bellovacensis, frustra conquesti sunt quod iudicium, ipsis non auditis, latum fuerit: non enim de questione facti agebatur, sed de controversia juris ad scripta pertinentis. Ad meliorem frugem Legati illi duo adducti Pontificie sententiæ acquieverunt, ac aliis quibusdam capitibus subscripserunt. Editum hæc de re Instrumentum, referunt Natalis Alexander, & Carolus Duplessis d'Argentrè, anno Domini 1256. die 23. *Octobris Indictione 15. in Palatio Domini Papa Anagnia*: quod etiam memorat Gerardus Dubois in Historia Ecclesie Parisiensis.

Guillelmus de Sancto Amore, eodem Gerardo teste, seu morbo, seu dolore proscriptionis libelli sui prohibitus, his gestis non adfuit. . . Imperatæ abeundi copia, dum in Gallie fines ingreditur, ab Alexandro Papa literas accipit, quibus ab ingressu Regni arceatur, omnique docendi & prædicandi facultate interdictur. Literæ datæ sunt *Viterbi 5. Idus Augusti Pontificatus anno tertio*, seu anno Christi 1257. die 9. Augusti: aliæque prostant ad Regem Franciæ, ne Guillelmus in exilium pulsus restitatur, datæ *Viterbi 3. Idus Augusti, Pontificatus anno tertio*, seu anno Christi 1257. die 11. Augusti. Hæc omnia loco superius citato memorat Guillelmus de Tocco: quæ mirum est, ad Clementem IV. referri potuisse.

Partes Guillelmi de Sancto Amore nondum fractæ. Anno 1259. controversia germina repullularunt. Datæ ab Alexandro IV. epistolæ eodem anno, *Anagninæ Nonis Aprilis* (die 5.) *Pontificatus anno quinto*, ad Episcopum Parisiensem, ne quis præfati Guillelmi causa molestias alicui ingerat. Æmuli Fratrum vulgabant libellos *famosos in litterali, & vulgari sermone, necnon rhythos & cantilenas indecentes*: ac etiam Guillelmus, *Bedellus Scholarium natione Picardorum, in Dominica de Ramis palmarum, prædicante Fratre Thoma de Aquino, quemdam libellum famosum, in conspectu Cleri & populi, & ipsorum Fratrum injuriam publicare præsumpsit*. Æmulorum audacia compressa, litteris datis ad Episcopum Parisiensem *Anagnia 6. Kal. Julii, Pontificatus anno quinto*, die Christi 1259. die 26. Junii. Librum denique solum innovavit Guillelmus de Sancto Amore, novo indito Titulo *Collectionis Catholice, & Canonice Scripturæ ad defensionem Ecclesiasticæ Hierarchie contra Pseudopredicantes*. Vita migraverat Alexander IV. itemque successor ejus Urbanus IV. Ecclesie regimen tenebat Clemens IV. anno 1265. electus die 5. mensis Februarii. Ad hunc Pontificem novum, ut apparebat, opus transmissum. Guillelmo rescriptis Summus Pontifex, litteris datis *Viterbi 15. Kal. Novembris, Pontificatus anno secundo*, seu Christi 1266. die 18. Octobris. Hæc habentur verba. „Sane libellum novum evolvere cepimus, quem misisti; qui licet interdum alias auras circinet, veterem tamen multum sapit: & cum excussus & discussus, licet colorationem in aliquo videatur habere, totam præmi substantiam comprobatur retinere. Verum dum totum non legimus, nihil tibi possumus respondere, nisi quod provida diligentia cor tuum munias, ne sub boni specie ille te seducat, qui se ut lateat, in lucis Angulum transfiguratur. Nos autem cum legitimus hoc Opusculum, & aliis amatoribus veritatis, & eandem intelligentibus communicaverimus, runc quod nobis videtur, tibi dabo in Romanis regebat Ordinem Fratrum Prædicatorum, anno 1264. in Magistrum Generalem electus. In Italiam anno 1261. remigraverat S. Thomas: neque abiit nisi anno 1269. altera vice Scholam Parisiensem moderaturus. An ergo Opusculum suum, hæc data *novi Libelli* à Guillelmo de Sancto Amore ad Clementem IV. transmissi occasione, scripserit Sanctus Thomas *contra impugnantes Religionem*? Ita sentire videtur Guillelmus de Tocco; qui sibi tamen minime constat. Elucubratur Thomæ opus diserite narrat ante *condemnationem*, in Volumen Guillelmi de Sancto Amore larum: quam anno 1256. tulerat Alexander IV. die 5. Octobris. Volumen illud ut refelleret Aquinas, onus ipsi impositum refert, cum *Anagnia degeret*, id etiam *mandante Summo Pontifice*: quæ loci circumstantia negotium indicat, *Anagnia*, ubi Alexander IV. anno 1256. sedebat, discussum, & completumque. Monumentum nullum adest, quod novum Guillelmi de Sancto Amore libellum prodit à Clemente IV. damnatum, utpote nonnisi veterem errorem continentem: unde neque novam ut Apologiam elucubraret Thomæ, opus fuit.

Res ergo ita videtur se habuisse. Parisiis in Italiam, ac Romam, & Anagninam anno 1256. corrente ad-

ventaverat S. Thomas. Huic Albertus Magnus, qui in Theoniam reversurus erat, munus & onus reliquit causæ, quæ agebatur, tuendæ ac propugnandæ adversum Magistros Parisienses. Mandante Pontifice Alexandro IV. ac urgente Humberto de Romanis Generali Ordinis Prædicatorum Magistro, opus ille adgressus est, *complevitque contra impugnantes Religionem*. Latum ergo ab eodem Pontifice anathema, redactusque in ordinem Guillelmi de Sancto Amore. Quævis ipse diu, volens nolens: libellum suum innovavit: transmissique demum ad Clementem IV. nonnisi veterem errorem recantari agnovit Summus Pontifex. Legendum is Joanni Vercellensi novum librum tradidit: ipseque Magister Generalis Aquinatis examen commisit, ut si quid novæ difficultatis inesset, responderet. Nihil vero prehensum, quod nova responsione retinendum foret: adeoque Guillelmi de Sancto Amore libellus derelictus fuit, contemptusque. Hæc sunt omnia verisimilia.

Cur ergo Thomas Contimpratensis, qui Albertum magnum memorat & S. Bonaventuram, nullam Thomæ Aquinatis mentionem ingesserit? Satis erat Alberti Magni meminisse, qui in Theoniam profecturus, causæ vindicem reliquerat S. Thomam. Quidni præterea Thomæ opus locum habet inter eas *Magistorum Virorum disputationes*, quas memorat? Sane varia Scriptorum dicta, quæ allata sunt, invicem collata, ac serio expensa, sententiam nostram validissime confirmant.

CAPUT III.

Alia duo scripta ab Aquinate Opuscula adversus Geraldum de Abbatis-villa. Opusculorum præstantia, ac soliditas.

I. PER hæc tempora Scripserit quidam, Ordinis Minorum Alumnus, Librum ediderat contra Guillelmum de Sancto Amore, qui incipit: *Manus, quæ contra Omnipotentem tenditur, facile deficiunt*. Doctissimum Becharum sequor, qui hæc Historiam partem diligentem enarrat ex insigni Ms. Codice *Gynnavit Magistri Gerovasi*. Duplicem libellum repositi Geraldus de Abbatis-villa, ut creditur, Magister Parisiensis; alterum sub hoc titulo: „Incipiunt errores, qui continentur in Libello à quodam Fratre Minore composito, & ab ipsis Fratribus, ut dicitur, approbato, qui sic incipit, *Manus quæ contra Omnipotentem*: „ & alterum, qui in laudato Codice his verbis indicatur: „Incipit Liber præsens contra Adversarium perfectionis Christianæ, & Prælatorum, & Facultatum Ecclesie. Libellis hisce idem S. Bonaventura opposuit *Apologiam Pauperum*: quam refutare Geraldus adgressus est, edito *Libro Apologetico Auctoris, & Libri contra Adversarium perfectionis Christianæ*.

Pugna hæc ingredi pretium opere dicit Aquinas: vulgavitque Opusculum, quod inscribitur *de perfectione Vita Spiritualis*. Non sinit Geraldus. Responsum ejus recenset sæpe laudatus Codex Gervaseus, cui titulus inditus legitur: *De perfectione status Clericorum*. Libelli initio ita præfatur Auctor: „Cum in manus nostras quidam Libellus, qui intulit de perfectione vite spiritualis, devenisset, à quodam Fratre Prædicatore (Thoma Aquinate) editus, & publico traditus exemplari: in quo sacrosancta subvertitur Ecclesiastica Hierarchia, status periculose dejicitur Sacerdotum minorum, ut de facili in contemptum veniant subditorum; visum est nobis contra hunc libellum scribere oportere. „ Levem opellam, ut excuscam contempit Aquinas. Novum prociudit opus Geraldus, quod est postremum in Codice Gervaseo. Incipit *Magister G. de T. L. Archidiaconus de T. L. Parisius Regens in Theologia, prædilecto & fideli Amico suo C. de T. L. optat salutem*. In eo præcipue versatur questio: *an homines exercendi sint diutius in observatione præceptorum, quam viam consiliorum in Religionibus arripere permittantur*. Ajentem opinionationem tuetur acerrime Geraldus: quem invictis argumentis profligavit S. Thomas, tertio edito Opusculo *contra pestiferam doctrinam retrahentium homines à Religionis ingressu*.

Geraldum, quem adversarium nacti sunt S. Thomas, & S. Bonaventura, Magistrum utriusque Parisiensem, cognomen de Abbatis-villa, vulgo ferunt. Adversarii nomen vel ex modestia, vel ex ignorantia, Vvadingo adnotante ad annum 1259. num. 7. ubique reticuit S. Bonaventuram in sua Pauperum Apologia: quod etiam ab Aquinate præstitum. At posteris ubique innovat adversarium ille, (ut idem ait Vvadingo:) etenim *vita Bonaventurae Scriptores, Chronica antiqua Minorum, & alii passim temerarium & hæreticum hunc Pauperum calumniatorem, Geraldum de Abbatis-villa, Parisiensem Magistrum, fuisse conspiciunt*. Hinc deceptus Dargentræus Tomo I. Collectionis judiciorum de nobis erroribus ad annum 1256. innuere videtur in Apologia Pauperum S. Bonaventuræ refutatum esse *Gerardum Segarellum de Parma, Fraticellorum Sectæ promotorem*.

II. Ad Opuscula tria S. Thomæ quod atinet, nihil in eo genere limatum magis, magisque completum scriptum fuisse censent omnes. Theologica soliditas, eruditio Ecclesiastica, disciplina Monastica perita, passim fulgent. Mendum occurrit in Opusculo *contra impugnantes Religionem* cap. 6. ad 9. „Magnanimitas, secundum Philosophum in 4. Ethic. cap. 3. maxime se dignificat, unde qui excedit hæc virtutem in superfluitate, quem *Chaynum* vocat, non magnificat se majoribus, quam magnanimitas &c. „ Philosophus habet, *chaunos, chaynos* græcè, latine *stolidus*: unde corrige, & lege, *quem chaynum vocat*.

Ab Sancto Thoma Aquinate adjudicantur Opuscula Theologica de Humanitate Jesu Christi. De Dilectione Christi. Et proximi. De divinis moribus. De beatitudine. De modo confitendi. De Officio Sacerdotis. De expositione Missæ. De emptione, et venditione ad tempus. De vitiis, et virtutibus, numero quaternario procedentibus. Animadversiones variae.

I. In editione Romana, minori caractere impressa, post alia jam recensita Opuscula prostant, quæ sequuntur, ad Theologicum negotium pertinentia: LX. De Humanitate Jesu Christi Domini nostri: LXI. De dilectione Christi, et proximi: LXII. De divinis moribus: LXIII. De beatitudine: LXIV. De modo confitendi, et de puritate conscientiae: LXV. De Officio Sacerdotis: LXVI. De Expositione Missæ: LXVII. De emptione, et venditione ad tempus: LXVIII. De vitiis, et virtutibus, numero quaternario procedentibus in communi, et de usurarum contractibus. Opuscula isthæc Veterum nemo recenset, veluti ab Aquinate profecta.

In prima ad Opuscula Admonitione cap. IV. num. 111. adjudicari debere Opusculum LX. De Humanitate Jesu Christi censimus Recentiori Anonymo Auctori, qui Terrijam Sancti Thomæ Summæ Theologicæ Partem, et Quæstiones postremas Libri quarti Sententiarum desolabat. Consonam Jo. Ambrosii Barbavara censuram descripsimus: cui addere animadversiones aliquot præstat. Suppeditat eas Casimirus Oudinus. Articulo 1. sic habet Auctor: *Dicit enim Damascenus, quod Jesus significat Deum humanatum; Christus vero est contra hominem deificatum, quæ duæ naturæ in una persona Filii se circumdederunt.* Paria verba S. Thomas 2. p. q. 16. art. 7. num. 3. tribuit Gregorio Nazianzeno: qui revera in Epistola 1. ad Cleodionem Presbyterum ait: *Ambo enim hæc connexio unum sunt, Theou len nanthoopesantos, anthropou de theocontatos, Deo humanato, et homini deificato, vel Deo factio homini, et homini factio Deo. Hæc vero dicta, digna censet ibidem expositione ac interpretatione Doctor Angelicus. Divisionibus similiter cadentibus, ab Aquinate stylo longe alienis, scæter opus. V. g. sub ejusdem Articuli initium: *Mysterium Incarnationis dicitur a principio Angelicis spiritibus manifestatum, demonibus vero occultatum, fidelibus etiam misericorditer revelatum.* Ac infra: *Ab æterno præordinatum, in veteri lege præfiguratum, à Prophetis præconizatum, à Sanctis Patribus desideratum, ab Angelo nuntiatum, in beatissima Virgine Maria consummatum.**

II. Opusculum LXI. De Dilectione Christi, et proximi. Barbavario-censente, „nulla ex parte sapi Aquinatem, licet Auctor ejus nequaquam sit aspernendus. Sane (inquit) illud nunquam diceret Thomas: *Dilectionem, qua diligitur Deus, ad hoc ut possidatur, qui est amor mercenarius, peccatum esse.* Quod enim, obsecro, vili insequitur potest dilectioni Dei, qualiscumque ea sit, nisi forte vitium dicitur omne id, quod aliis, quæ ex parte est imperfectum. Ubi tractat de augmento Charitatis, cap. XVII. indifferenter tractat de Gratia, et de Charitate; cum tamen apud Thomam differant, etiam quantum ad rem propositam spectat; neque etiam concederet Divus Thomas, eodem pariter gradu augeri gratiam, et charitatem. Item nescio, quæ iure ibi assumat: *Aliquando, immo multoties, dat gratiam Deus homini sese vel mediocriter, non vero secundum totum deum concitum disponenti.* (Non ipsa afferuntur verba, sed exprimitur sensus.) Cum potius per Joëlem Deus dicat: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Et alius Propheta dicat: *Maledictus, qui opus Domini negligenter operatur:* unde Theologis confessio illa celebris est, *Deum facienti quod in se est, dare gratiam.* Quod etiam docet (ibidem): *gratiam parvulus dari majorem, vel minorem dum baptizatur sine meritis quidem, non tamen sine majori vel minori dispositione naturalium; non recte dicitur iudicio meo, neque ad Theologorum mentem, præsertim vero Divi Aquinatis, apud quem certum est gratiæ quantitas, tem non sequi proportionem naturalium in hominibus, sed tantum in Angelis 1. p. q. 62. art. 6. Et ne longius divagemur, stylus quoque ipse ita palam arguit adulterium foetum, ut in re non dubia superfluum sit uti argumentis.*

Attamen contra primam censuræ partem validæ ex ipso Auctore agi vindiciæ possunt capite 11. „ Sed sensus habet, (inquit ille) hæc propositio: *iste diligit Deum propter Deum.* Primo diligit Deum, propter Deum supple habendum, ut habere Deum, vel frui Deo sit finis in quo quiescit; ut iste vadit ad tabernam, propter vinum, scilicet bibendum, bibitio & delectatio plus placet illi, quam vinum. Et sic diligere Deum, est malum, et peccatum, quia refertur Creator ad creaturam. Secundo diligit Deum propter Deum, scilicet habendum, ut habitus Dei, vel fructus Dei sit finis, non in quo quiescit, sed quo quiescat. Beatitudo enim creatura potest appeti ut finis quo quiescamus, quia ipsa habita, nihil creatum amplius appetimus: sed debet poni finis in quo, non in ipsa quiescamus, sed per ipsam in Deo. „ Verissima documenta.

Pii Monachi luctationem existimat Echardus. Conjecturam ex postremis Opusculi verbis desumit: *Cum in ea (æterna vita) de servitio miles, de novitio professus, de sponsa subharrata sit conjux consummata, per Jesum principium summæ maiestatis, Abbatem summæ sanctitatis.* Quis enim, inquit, Christum Abbatis titulo, veluti eximio, decorare sibi in animum induxisset, nisi Monachus? Plura Oudinus affert, quibus ab Aquinate abjudicandum Opusculum censet.

III. Opusculum LXII. de divinis moribus, „ nullis adhibitis tormentis, (inquit Barbavara) Auctorem imperitum prodit, dum bonam voluntatem, cap. 2. inter bona naturalia connumerat: *bene legere, et cantare* (ibidem) inter gratias gratis datas: *virtutes denique morales* (eodem in loco) inter dona gratuita. Quasi bona voluntas aliunde sit, quam ex virtutum habitibus: ut mitamus improprium illud de divinis moribus inscriptionem. „ Monachum auctorem habet Echardus, utpote qui capite 11. neminem despicendum inoneat, si non est in eo sanitas, membrorum integritas, corporis fortitudo, formæ pulchritudo, eloquentia vocis, habilitas ad cantandum et legendum: quorum debemus, quantum possumus, defectus supplere.

IV. „ Ab eodem auctore, (inquit Barbavara) prodit Opusculum LXIII. de beatitudine. Quod conjicere licet ex Tertio Membro Capitis secundi, ubi Auctor ait: *Est et aliud inflammans animum ad amandum Deum totis viribus, scilicet divini mores perfectissimi, de quibus est alia materia specialis.* (Superius „ Opus-

„ Opusculum indicatur.) Quare eadem utrobique est censura. Nisi & illud evidens sit argumentum contra ipsum, quod docet: *Beatos ipsa quoque secretissima Dei iudicia contemplari; v. g. quare Deus Jacob dilexit, et ait: Esau autem odio habuerit: quare ex duobus parvulis unum baptismum subtraxerit ex fidei natum, alterum Sacramento fuerit dignatus.* Quæ certe hyperbolem quamdam habent. „ Auctorem scripsisse tertio decimo sæculo ineunte, colligit Echardus ex illis loco citato verbis circa medium: *O admirabilis fidelitas Jesu Domini nostri, qui mille ducentis annis et amplius ab indigne conscientibus etc.*

V. „ Opusculum LXIV. de modo confitendi, è diametro repugnat maiestati, & doctrinæ Aquinatis, (verba refero Barbavara.) Quæ parte docet, narrandas esse circumstantias, quæ peccatum quomodocumque aggravat: veluti parvus est, (inquit, ubi agit de circumstantia loci) hominem (corpus hominis) animo impudico tangere sub pannis, quæ manu (vel pedem:) & cætera id genus viri gravi, & citra superstitionem erudito prorps indigna, ne interim objiciam morosiorum illam digressionem de periodo familiaritatis dominarum, vel mulierum. „

Hanc ego censuræ partem, quæ ad aperiendas in confessione circumstantias aggravandas, & ad vitandam mulierum familiaritatem spectat, minus adprobo. Fortasse quidpiam scrupulosus, aut minus enucleate dictum ab Auctore in circumstantia, Coram quo, inquit: *Adhuc est gravius tangere Bertam osculando, quam ipsam in eodem loco tangere cum pede. Unde non sufficit dicere: tungi Bertam impudice, sed oportet dicere: locum corporis, si tetigisti manum, vel pectus, supra panos vel ad nudum: et dicas modum, scilicet cum ore, manu, vel cum pede.* Hæc tamen Doctorem Aquinatem non referunt, sed Casimirus superioris ætatis.

VI. „ Opusculum LXV. de officio Sacerdotis, (inquit Barbavara) Dubio procul vulgaris cujuspiam curatissimi Brevarium quoddam est: in quo illud præsertim notari dignum est, quod opera Cornelii Centurionis vitii damnat; cum tamen scriptum sit Act. 10. quod elemosinam ejus, et orationes ascendissent in conspectu Dei. Unde Sancti Patres eum ex fide jam tunc viventem pronuntiant. Item quod consulti Parocho, ut pueros semota solemnitate domi baptizatos propter instans mortis periculum, rebaptizent sub ea verborum formula, si non est baptizatus, ego te baptizo. Item quod à baptizando exigit contritionem: quanvis in hac parte excusari possit, contritionis nomine ad quemcumque dolorem de peccatis extenso.

Vitio iniquitara Cornelii opera existimasse Auctorem, censet Barbavarius. Non ita Auctor, qui cap. IV. ait: *Denuntiet tamen, quod illa opera, quæ facit in morali peccato, non prosunt sibi ad vitam æternam: sed ad hoc prosunt, ut disponent, & habilitent ad penitentiam, ut legitur de Cornelio.* Eius fortasse erat sententia Auctor, nondum Cornelium justificatum fuisse, antequam accesserit ad Petro. Hæc tribuit Chrysostomo, Basilio. Occumeno, aliisque: in quam diligentius ego non inquiri. Consule S. Thomam 2. 2. q. 10. art. 4. ac Theologos. Item rebaptizationem, sub prædicta conditionata formula, consulti ille capite 11. quando probabiliter dubitatur. Denique ibidem sic ait: *Adulto non imponitur penitentia de commissis ante baptismum. Requiritur tamen in eo cordis contritio, sine qua non consequeretur veniam de actualibus peccatis.* Hanc nemo non amplectitur doctrinam.

Remotiora quædam à stylo, & à methodo Sancti Thomæ afferit Oudinus ex cap. v. „ Porri autem Sacerdos illud (Sacramentum ad infirmos) publice, honeste, honorifice, ante pectus, cum gausape mundo. „ Debet autem Sacerdos monere communicantes, ut sumant de calice tribus vicibus ad minus, non propter aliquid mysterium, sed ut bene laventur ora sumentium. „ Debet autem tene, dum communicant, aliquid quod gausape ante pectus, sub mento, ante caput vilius gausapis. „ Parvulus ita teneris, quod sumere illud non possunt, debet Sacerdos in mortis articulo unum aqua in calice pro confirmatione protrigere, non quod sit Sacramentum, sed fides & assuetudo Sacramenti. „ Hæc Thomas scripsisset nunquam, utpote barbara, & à ritibus Romanæ Ecclesiæ aliena. Ait etiam cap. VII. de Sacramento Matrimonii: *Fundat benedictionem super capita amborum, principaliter tamen super mulierem, ratione cuius celebratur Missa, et datur benedictio.* Cur hæc vero, cum Missa æque pro sponso et sponsa inscribatur: & benedictionem daturus, æque ad sponsum et sponsam se convertat Sacerdos?

VII. „ Opusculum LXVI. de expositione Missæ, (Barbavarii censoris verba sunt) præterquamquod non men Sacramenti, et Sacrificii imperite confundit, habet phrasim ad ingenio & gravitate Divi Doctoris alienam. Querens enim ejus libelli Auctor: *quare in tertio Ordine Canonis duas tantum cruce faciamus, et proterat prius, quod ille ordo brevior quidem est quam alius, sed profundior et sapientia magis plenus.* Ubi præter inpropriatam ejus vocis, *Ordo*, Ecclesiam taxare videtur, quas non eadem arte & sapientia priores Canonis partes conuenierit, quæ tertiam. Secundo querit, *quare in hoc tertio ordine elementa panis, et vini transcant in substantiam Corporis et Sanguinis Christi?* Ita responder, ut pudeat responsonem afferre. (Ait nempe: *Triplex est ordo, scilicet natura, justitia, et gratia: ordine natura flos præcedit fructum, ordine justitie pœna sequitur peccatum, ordine gratiæ superabundat gratia peccatum, et misericordiat impenditur, ubi nullum præcedit meritum.* Et ideo nec natura potuit, nec justitia debuit, ut panis et vinum fierent corpus, vel caro, et sanguis, sed sola gratia divina hoc potuit et voluit, hoc fecit et facit.)

In quinto ordine causam reddens, quare non fuit ad verbum creationis, sicut ad alia, sanctificas, vivificas, benedictis: ait, *quia homo ex vi primæ conditionis non poterat stare, nec proficere sine gratia adjuvante, et Sancta Crucis virtute.* In qua sane ratione reddenda plura sunt vitia, quam verba: nam & poterat homo in eo statu cavere omne peccatum virtute nature integræ: & si quidem verberat, indignissimè plane gratia ad bene de Deo merendum, sed non gratia sanctæ crucis. Ut mittant alias ejus Viri nugas, aique ineptias. Testatur Oudinus „ Opusculum se vidisse in Codicibus Mss. integro sæculo antiquioribus Aquinate: in presens prostrare inter Opera Hagonis de Sancto Victore, ac etiam sub nomine Guillelmi de S. Theodorico: Joannem denique Cornubiensium Angli nomine insignitum reperiri in aliquibus Mss. Codicibus.

VIII. Sequitur Opusculum LXVII. de emptione et venditione ad tempus. Censuram Barbavarii accipe: *Tractatus brevior est: sed in quo veram Divi Thomæ effugiam agnosces.* Apud Veteres mentionem ejus nullam haberi, adnotat Echardus: recensitum à Nicolao Triveto putat Oudinus, his verbis: *Item declarationem quatuor questionum ad Magistrum Ordinis.* Porro casus, aut quæstiones quatuor in Libello resolvuntur. At cubat error in illis Triveti verbis apud Oudinum; legendum quippe, *item declarationem quadraginta questionum ad Ma-*

Magistrum Ordinis, quæ ad decimum spectant Opusculum in Editione Romana.

IX. „Quaternarius ille virtutum, & vitiorum numerus (in Opusculo LXXI.) superstitiosam nimis affectationem, (inquit Barbavara) & plerumque ridiculam ostentat, ac proinde indignam mediocri Theologo, nedum ipso Aquinate cap. vi. Quatuor, inquit, sunt artes hominis, in assidua penuria & miseria nutrites, scilicet Grammatica, Dialectica, Arithmetica, & Geometria. . . Item quatuor sunt præcipua dona facti, sive fortune, scilicet uxor prudens, lingua facundia, naturalis sensus, & mundana gratia. O bellam sententiam! Et non solum à fidelium, verum etiam Philosophorum Scholis pariter explodendam.“ Explodunt certe Opusculum Echarodus, & Oudinus.

CAPUT V.

Opusculum de Usuris non est Aquinatis: num tribui debeat Aggidio à Lessinia, expenditur. Supposititia videtur epistola de modo idoneo salubriter acquirendi scientiam. Ab eodem Thoma abjudicatur Tractatus de Præscientia, & Prædestinatione divina.

I. Opusculum LXXIII. de Usuris, degenerat ab Aquinate, (censura est Barbavarii) sive stylum, sive methodum, & doctrinæ qualitatem respiciamus. Quoniam, inquit in Proœmio, in dubiis, quorum virtus agnita salutaris est, & incognita periculum ingerit humanæ salutis, admodum utile est veritatem investigare: ideo &c. Quid, rogo, tam argutum Oratorem, & tam belle sui instituti causam reddentem (non irritatæ?) Utile, inquit, est veritatem investigare in iis dubiis, quorum cognitio est utilis. Ordo tere nullus topico in eo Libello conspicitur: dum & commisceat materiam de usuris cum illa de contractibus: & cum in Parte prima questionis egressus de materia vitii usuræ, deque diversis modis & speciebus ipsius; in tertio tamen capite repetit nullis interiectis: an usura habeat locum tantum in mutuis, an etiam in aliis actionibus, capite 8. & 9. contractibus nempe. In primo capite (Partis primæ) usuram distinguens in eam, quæ proprie, & quæ metaphorice dicitur, verbis ita remotis & longe petitis utitur, ut vitandum sit in sensu ambiguum habendo. Quia, inquit, superabundantia, (quam significat nomen usuræ) aliquando oritur ex usu legitime, idest licito; ideo nomen usuræ in Scripturis sacris multipliciter accipitur &c. Sed ea graviora sunt, quod (cap. vi. ejusdem Partis I.) conditiones quasdam assignat, quæ secundum iura usuras excusare videntur. Quarum prima est cultus disparitas: & secunda est conditio, quæ facit hostem dignum morte: & hanc quidem se colligere putat ex vulgaris quibusdam Ambrosii verbis, perperam ab eo intellectis: (Ab illo exiit, ut usuram: cui merito nocere desideras, cui iure inferuntur arma &c.) Quæ si vere assignantur, consequens est, virtum Christianam licite fœnerari posse Judæo: item illis, contra quos bellum justum à Principe susceptum est. Quod aperte pugnat cum doctrina Divi Aquinatis 2. 2. q. 78. art. 1. ubi palam restatur ad 2. neque Judæis ipsis licitas aliquando fuisse usuras: licet aliquando, & erga aliquos ipsas permissas fuerint propter profundam eorum avaritiam. Nam ex ipso textu Deuteronomii cap. 23. satis, inquit, constare potest, eas nunquam licitas fuisse. Nam scriptum est: Non fœnerabis fratri tuo; quilibet autem homo loco fratris habendus est secundum regulas charitatis. Denique cap. 5. ait, quod licet per usuras non transferatur dominium ex vi juris naturæ, (legis divinæ, ita scilicet ut usuræ solutæ non transeant in dominium recipientis:) transferitur tamen ex lege humana. Ex quo deducit, non esse eandem rationem, & causam restituendi ea, quæ fœnore, & quæ furto vel rapina quis abstulerit. Quæ doctrina non satis arriteris, quæ à Divo Thoma eodem loco scribuntur art. 3. in fine Corporis. Nam causam reddens, quare quis tenetur reddere fructus agris, quos usura extorserit: quia, inquit, sunt fructus rerum, quarum alius est dominus, & ideo ei debentur: per ea verba, quarum alius est dominus, plane innuendo, quod usura non transferret dominium. Et in solutione 3. ait: quod plus juris habet fœnerator in acquisitis ex pecunia usuraria, quam in ipsa pecunia: plane quia in pecunia nullum, & in iis quæ ex illa acquisita sunt, nonnullum jus habet. Unde arbitror, concessurum Aquinate, quod eadem sit ratio restitutionis in furto, & usura: ita ut si quis ex re furto ablata lucrum sua industria fecerit, non teneatur restituere domino totum lucrum, sed rem tantum quam abstulit, & si quid inde damni ex lucro cessante provenerit.“

Sancto Thomæ Aquinati tribuendum Opusculum, censuit Petrus Pellican. Præcipuum ex eo sumitur argumentum, quod Auctor Parte III. de Usuris cap. v. al. xix. sic ait: De his aliis scripsimus in septimo præcepto Decalogi justis. Allegari videtur Opusculum de decem præceptis, quod est Aquinatis germanus fœtus. Pellicani, itemque Bergomati argumentum profligat Echarodus. Agit ibi Auctor de restitutione usurarum. Suo vero in Opusculo illo Thomas, in expositione septimi præcepti, rationem quidem affert, cur usura non sit licita; sed ne verbum habeat de restitutione usurarum: tantum scilicet abest, ut, de ea ibi diffusius agat. Hinc Opusculum adscribendum Echarodus censet Aggidio à Lessinia, oppido in finibus Hannoniæ, & Flandriæ Ordinis Prædicatorum, qui anno 1278. florebat. Quod idem antea censuerat Bunderius noster Indice Codd. Mss. Belgii. Animadvertit Oudinus, hæc legi verba (Parte I. cap. ix. edit. Rom.) Goffredus magna auctoritatis in iure Canonico, Summam faciens super titulos Decretalium &c. docetque hunc Auctorem, de Trano dictum, suam in Decretales Summam anno 1290. vel serius etiam scripsisse: unde sicuti Divi Thomæ certo constat non esse Opusculum, in quo recentior allegatur Goffredus: ita num Aggidio de Lessinia, cujus ætas mihi certa non est, tribui debeat, dubius hæreo.

II. Inter Opuscula num. 68. prostat Epistola, minuto caractere cusa, Angelico Doct ori tributa, ad quemdam data, dictum postea Joannem: in qua proponitur idoneus modus salubriter acquirendi scientiam, sive humanam, sive divinam. Veterum nemo meminit ejus. Barbavarii censuram refero. Epistola de modo acquirendi scientiam, si quis conentat esse Divi Thomæ, facile retelleitur vel primis quidem ejus verbis. Hoc, inquit, à me tibi traditur consilium, ut per rivulos in mare non statim eligas introire, quia per faciliora oportet ad difficiliora accedere. Sane nimirum enervis est collectio hæc, immo vero non tam enervis, quam vitiosa: nempe ex cujus antecedente non consequens, sed ejus oppositum potius deducatur. Ex hoc enim, quod per faciliora ad difficiliora est perveniendum, consequitur: ergo per rivulos ad mare via est faciendia. Virum

rum censorem deformata interpunctio, vel etiam lectio fefellit. Legendum ita: Hoc traditur consilium, ut per rivulos, non statim in mare eligas introire. Alia est lectio apud Martene Tom. I. Amplissima Collectio col. 1352. Hoc tibi datur consilium, per rivulos, & non statim in mare eligas introire. Nonne vero qui primum se in rivulos immitit, ac postea mare ingreditur, à facilioribus gradum facit ad difficiliora?

Pergit Barbavarius. „At videamus cætera instituta. Nemini, inquit, te multum familiare ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum: tibi & conclusio parum vera est, & probatio prorsum nulla. Quis enim nesciat, maxime contere ad scientiæ acquisitionem, si quis studia cum peritioribus conferat? Fac vero, quod nimia familiaritas pariat contemptum. Quid tum? Num enim indoctior quis factus est ob id, quod amicus eo utatur familiaris? Quare absit, ut hoc consilium datum credamus à Divo Aquinate, qui totos dies in Scholis trivisset; sed credamus potius, institutionem fuisse severi alicujus Monachi, vel Heremite. Neque etiam illud placeat: Non respicias, neque audias. Cum enim oporteat addiscentem, teste Philosopho, multa credere; non parum refert in principio institutionis, cui quisquis credit: præsertim vero iis, quæ ad Theologiam, & fidem spectant, quæ tota auctoritati innititur.“

Baudem vulgavit epistolam ex Ms. Codice Sancti Laurentii Leodiensis loco citato Edmundus Martene, cum quibusdamp vocab. variatibus, quæ nitidiorum efficiunt sententiam. Jam anno 1330. teste Jacobo Echarodo, laudabatur, seu S. Thomæ tæctus: extatque inter Epistolas B. Venturini de Bergamo, hoc titulo: Exhortationes S. Thomæ de Aquino ad Siveles benivolos circa studium. Plura adnotat idem Echarodus ad ceteram addita, legi, quæ in editione Romana desiderantur. Quod apud Martene additamentum legitur, refertur: Hanc siquidem salutarem Epistolam, omnique prorsus commendatione dignam, cohabitaticem tibi in cella hortor, & obsecro jugiter tenas; ut cum ea sæpe confabulando, de virtute ire possis & proficere in virtutem, usque in vitam æternam: quod tibi prestare dignatur Dominus noster Jesus Christus. Amen. Non Auctor hæc scripserit, sed alius addidit. Num ipse Venturinus, ut suspicatur Echarodus? Non ita facile dixerim. Adde, inquit Casimirus Oudinus, quod inquirens loquebatur de modis seu mediis naturalibus acquirendi scientiam; cui Auctor absurde respondet de mediis spiritualibus, & ad interrogata nihil facientibus. Immo hæc spiritualia media maxime conleram ad scientiam salubriter acquirendam, ut Titulus habet.

III. Petrus Pellican in sua Opusculorum editione, num. LXXIV. recenset Tractatum de Præscientia, & Prædestinatione divina, quem alie præstant editiones vel post primam Summæ Theologicæ Partem, vel post Tertiam. Hujusce operis Veterum nemo mentionem ingerit, cen elucubrat ab Aquinate, Lucem primum vidit Lugduni anno 1541. apud Joannem Crispinum, obstetricante Joanne Danielis, Sacra pagina Hæccalario Lovaniensi, qui se contulisse Tractatum ait ad multa exemplaria. Codicem Ms. nullum se unquam offensisse testatur Echarodus, qui Sancti Doctoris nomen inscriptum præferat. Ceterum hæc lucubratio, (ejusdem Echarodi verba sunt) licet multum disset à stylo S. Thomæ, non tamen ita discrepat ab ejus doctrina: nam & in ea adstruitur, præscientiam Dei adjuncta voluntate causam esse scitorum, & prædestinationem esse gratuitam, & ante prævisa merita. Hinc mirum, Thomam Campanellam, famosum illum Scholæ nostræ desertorem, hanc opellam ceu genuinum S. Thomæ fœtum adpassse, quo suam de Prædestinatione post prævisa merita sententiam fulciret, à qua certe parum, aut potius nihil illi præsidii.“